

valebunt pura corda quam astuta verba, & conscientia bona quam mansuetudo plena. Nec flectetur amore, quia iustissimus est. Expectatur dies iudicij aique, & adit ille aequissimus iudex, qui nullius potentis personam accipit. Nec errore fallitur, quia sapientissimus est. Ita nempe est scientia summi iudicis, iste tremendus aspectus, cui peruium est omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitentur, & sine voce mens loquitur. Et ideo quum eius sapientia sit tanta & talis, non praualebit contra eam præclarissimum eloquium, & astuta verborum oratorum. Quinto accusator horribilis. Tres accusatores tunc contra peccatorem stabunt, primus erit diabolus. Prætor enim tunc erit diabolus recitans verba professionis nostræ, & infusionis gratiam. Obiciet namque nobis quæcunque fecerimus, & in quo loco, & in qua hora peccauimus, & quid boni tunc facere debuimus. Dicturus est enim ille aduersarius. Aequissime iudex iudica istum meum esse culpam, qui tuus esse noluit per gratiam. Tuus est per naturam: meus est per miseriam. A te accepit immortalitatis stolam, à me accepit hanc maculatam & pannosam, qua indutus est, tunicam. Tuam dimittit vestem, & cum mea huc venit. Heu heu poterit ne talis aperire os, qui talis inuenietur, vt iuste cum Diabolo deputetur. Alius accusator erit proprium scelus. Tunc loquentia simul opera nostra dicent. Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, tecum erimus, & tecum ad iudicium pergemus. De hoc sic legitur. Venient in cogitationes peccatorum suorum timidi, & tradent illos ex aduerso iniquitates ipsorum. Accusator erit quoque mundus. Merito namque totus mundus accusator erit, quia offensus creatore offenditur totus mundus. Scriptum est etiã. Pugnavit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Sexto testis infallibilis. Tres enim testes habebimus, vnum supra nos, scilicet Deum, de quo ait Hieremias. Ego sum iudex & testis dicit dominus. Alium intra nos, scilicet conscientiam propriam. Quisquis est ò homo, qui futurum iudicium times, præferentiam conscientiam corrige. Sermo namque causæ tuæ testimonium conscientie tuæ, Alium iuxta nos, scilicet angelum custodem nostrum, de quo ait Iob. Reuelabunt cæli, id est angeli, iniquitatem eius. Septimo arctatio peccatoris. O quam angustæ via tunc erunt reprobis. Superius erit iudex iratus, inferius horredum chaos. A dextris peccata accusantia, à sinistris infinita demonum multitudo trahens ad supplicia. Intus conscientia vrens, foris mundus ardens. Miser peccator sic deprehensus quo fugiet. Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Octavo sententia irrevocabilis, quam sequetur miserima calamitas damnatorum. Ponentur enim in inferno, vbi erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, factor importabilis, tenebræ palpabiles, flagella cadentium, horreda visio demonum, consilio peccatorum, & desperatio omnium bonorum. Erunt namque miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, & deficere nescit. Quisquis itaque ad toleranda inferni mala descenderit, nequaquam ulterius ad lucem redibit, quia minime ultra misericordia parentis liberat, quos semel in locis pœnalis iustitia iudicantis damnat.

De speciebus timoris, atque ipsius perfectione.



Vnc in hoc vltimo capitulo de timore, Deo fauente, de speciebus timoris, & de ipsius perfectione dicendum est, vt clareat intentibus quo agitantur timore quum trepidant, & quando defectuose, quando laudabiliter paucit. Horum enim scientia perutilis est. Sciendum igitur, quod septem sunt timoris species, quarum prima est naturalis. Hoc timore quilibet timet naturaliter nocium naturæ. Hic timor non est meritorius, neque demeritorius, quia non subiacet libero arbitrio. Et dicitur naturalis, non à natura influita, sed delimitata, quia iste timor est pena pro peccato primorum parentum influcta. Timor iste de futura morte necessario mente concurrit, & quasi supra vires in terrorē adducit. Illo enim timore Christus naturaliter mori timuit. Secundus est timor humanus, quo quis timet pelli suæ. Ille timor nascitur ex nimio amore præsentis vitæ, & est quandoque mortalis actus, scilicet quando quis prius peccaret mortaliter, quam amitteret vitam suam, quandoque est venialis, vt quum quis faceret prius peccatum veniale, quam permitteret se occidi. Propter hunc timorem non debet homo delinquere. Nam inter eum qui decem vixerit annos, & eum qui mille, postquam idem finis aduenerit, & irrevocabilis mortis necessitas, transactum omne tempus idem est, nisi quod magis senex magis onustus falce peccatorum proficitur. Non est ergo pro hac mortis inevitabili necessitate & timore à iustitia declinandum. Tertius est timor mundanus, quando aliquis nimis timet temporalia perdere. Talis timor fuit in Iudæis, qui occiderunt Christum, ne temporale amitterent regnum. Ille timor multos habet cruciatus. Diuiti enim plus cruciant adeptæ amissionis timore, quam delectet cupiditas adeptionis amore. Non enim formidanda est diuitiarum amissio, quarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor iniustus, arrogantiæ, superbia, & omnis irrationabilis motus. Facilis enim res est humanum cor opibus ac libertate dissolui, & rumnis verò ac paupertate ad semetipsum colligi. Quartus est timor seruilis, quo quis timet peccare propter pœnam principaliter, sed inaniter putat se esse victorem peccati, qui timore pœnæ non peccat, quia si non impletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamē mala cupiditas intus est hostis. Nam si adhuc à praua actione formidanda pœna prohibet, profecto formidantis animus nulla spiritus libertas tenet. Nam si pœnam non metuere, culpam proculdubio pertraheret. Ignorat itaq; gratiam libertatis, quem ligat timoris seruitus. Quintus est timor initialis, quo timet quis Dei offensam & pœnam. Vnde quasi habet duos oculos, vnum ad pœnam, & alterum ad Dei offensam, & hic est prædictis principalior. Igitur ò tu qui adhuc initiali & non filiali timore teneris, si te amor Dei à peccato non cohibet, saltem te prohibeat terreatque timor iudicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vræs, vermis corrodes, & flamma tartarea. Ex talium consideratione Deum time, & hæc non formidabis. Noueris proinde te, disce quis peccantibus Deus comminetur, vt eum timeas. Sed & ipsum noueris, vt ipsum diligas, in vno iniitans sapientiam, in altero consummans, quia

Heb. 11.

32p. 4.

Ibid. 5.

Hic. 19.

Ibid. 20.

50

60

iniiti